PERICULUM IN MORA REFORMATIONIS CATECHISMI PROCLAMATUM

Ab Eximio Domino ac Magiſtro
GUMMARO HUYGHENS S.T.D.

EXPENSUM
A
CYPRIANO A S. HIERONYMO
Theologo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MOGUNTIÆ,
Typis PETRI HERMANS.

1688.

CYPRIANUS A S. HIERONYMO AD EXIMIUM D. GUMMARUM HUYGHENS.

EXIMIE DOMINE,

ACcepi ac ſtudioſe perlegi Epiſtolam Apologeticam, quam pro Eximiâ Eruditione Tua ſcripſit Paulus Maſius adverſus Libellum, in quo Dogma tuum de Libertate excuſſit; tibiq; conſiderandum, ac Sanctæ Sedi judicandum propoſuit Eraſmus Pilius. Diſſimulare non poſ-

ſum, placuiſſe mihi ſtudium Apologiſtæ in laudando ſuo Eximio. Commendat potiſſimùm indefeſſum tuum Zelum reformandi Chriſtianiſmum: Vaticinatur futurum, ut, ſi quando venerit Eraſmus in Belgium, admiretur inſignem mutationem, quæ ſtudio ac induſtriâ tuâ facta eſt in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ. Opus non eſt, ut propterea iter aggrediatur Eraſmus, potuit diſcere ab iis, qui coram viderunt, & experti teſtantur, mutationem eſſe tantam, ut Tribunal Miſericordiæ converſum videatur in carnificinam conſcientiarum. Ego ipſe vidi, ac diligenter excuſsi novam tuam Methodum remittendi ac retinendi peccata, quam Sacra & Apoſtolica Inquiſitio Toletana anno 1681. 28. Auguſti damnavit, quia natum eſt fieri, ut per illam deterreantur & Sacerdotes ab adminiſtratione, & pœnitentes à ſuſceptione Sacramenti Pœnitentiæ. Intelligo illam Methodum in multis Belgii Provinciis reduci ad praxim, quin imò reductam eſſe jam pridèm. Si eſt ità, facilè

cilè intelligo inſignem factam eſſe mutationem in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ; quâ tamen mutatione carêre poſſunt reliquæ orbis Chriſtiani Provinciæ. Addit Apologiſta indefeſſum tuum reformandi ardorem eòuſquè ſe extendere, ut cogitare cœperis de reformando Catechiſmo, qui annos quadraginta & amplius Lovanii fuit æſtimatiſsimus tamquam Doctrinæ ſanæ compendium; quin imò Zelum tuum omnis moræ eſſe impatientem; judicio tuó periculum *eſſe* in mora, *ſi reformatio Catechiſmi differatur diutius. Vt fidem adhibeam, aliàs non adhibiturus, adducit tua verba ex Antitheſibus, quas ſuperiori anno oppoſuiſti Theſibus R.P. Joſephi de Reulx. Verba tua hæc ſunt:* Cæterùm, quod ad illum Catechiſmum attinet, plura habet, quæ meritò improbentur, ut propterea dicta Facultas optimè cenſuerit ſubſtituendum eſſe alium, aut hunc eſſe emendandum: quod plures alii mecum optant fieri citò: nam PERICU-

LUM EST IN MORA. *Verba hæc tua operosè inculcavit tuus Apologiſta; quæ propterea ponderavi ſedulò. Suſpicor ego (pace tuâ id dixerim) majus eſſe periculum in præcipitantiâ, quam in morâ reformationis Catechismi, hoc præſertim tempore, quando tanta eſt innovandi prurigo. Ne hanc præcipites ſuadebo pro viribus: perſuadebo forſitan. Placidè igitur examinemus tuum illud* PERICULUM IN MORA: *ac primò quidem, quis ſit ille Catechismus, quis illius Autor, quis Cenſor: dein cujus autoritate ſit reformandus: tum verò quæ de cauſa diſpliceat, & quænam ſint illa, quæ in illo improbentur: ac tandem quis reformationis hujus ſperandus ſit eventus.*

§. I.

§. I.

Quis ille Catechiſmus?

INſpiciamus frontem, legamus titulum: Catechismus *ad Vſum Studioſorum Facultatis Artium Academiæ Lovanienſis.* Ita habet Editio Lovanienſis apud Cornelium Cœneſtenium anni 1643. eſtque *Editio altera & auctior*, ut præfert frons ipſa. Quo anno prodierit Editio prima, ignoro; nec inquiſivi, & parùm refert. Ex Editione hâc ſecundâ conſtat Catechiſmum annos ætatis numerare ad minus quadraginta quinque; fuitque in pacificâ tot annorum poſſeſſione, ſemperque æſtimatiſſimus, ut fatetur Apologiſta Eximii Gummari. Nec miror cùm fuerit concinnatus *è Catechiſmo Romano Principis Eccleſiæ* Pii V. *juſſu olim evulgato*, ut me docet Authoris allocutio ad Eruditæ Facultatis Artium Juventutem. Nunc verò ſubitò cœpit hic Catechiſmus diſplicêre, tamque vehemen-

menter diſplicêre, ut cenſeatur ſubſtituendus novus, aut certè reformandus antiquus, atque *periculum eſſe in mora.* Fuit aliquando Eximius Gummarus Lovanii Philoſophiæ Profeſſor meritiſſimus: tunc temporis valdè ſedulò, ut quidem intelligo, illum Catechiſmum ſuis explanabat Diſcipulis, conformiter ad id, quod habetur in eadem allocutione, ubi de Catechiſmo ità loquitur Author: *Auguſtus fatemur, pro rei mole liber eſt: & brevitas fortaſsè quandoq; lucem intercipiet. Sed facem habetis à Magiſtris: Vivam, inquam, vocem, quæ adſtricta diſſolvere, congeſta digerere poteſt.* Fuit igitur, ut piè licet ſupponere, viva vox Eximii Gummari fax quædam ſuis Diſcipulis, tunc nihil Magiſter ſuſpicabatur mali latêre in Catechiſmo, qui nunc repentè ità cœpit eſſe horrori, ut vel ſit reformandus, vel ſubſtituendus alius, *Periculumq; ſit in Mora.* Debet novum neſcio quod lumen affulſiſse Eximio. Sic idem ille Philoſophiæ olim Profeſſor antiquiſſimam illam libertatis notionem, *potentia, quæ, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere vel non agere,* apud omnes Philoſophos ac

Theo-

Theologos antiquos recenteſque celebratiſſimam venerabatur, propugnabat, ſuis inculcabat Diſcipulis: Jam verò *intrepidè*, inquit, *negamus definitionem illam. Non fuit nota Ariſtoteli. Non meretur tantillum operæ. Non meretur etiam ſubſidium ſenſus compoſiti & diviſi. Nimium propendet in Pelagianorum & Semipelagianorum errores, Modò non eſt neceſſaria Theologia.* Quæ omnia accuratè diſcuſſit Gerardus van Viane in Libello ſuo, cui titulus: *Doctrina de Libertate*, &c. Sed ad Catechiſmum.

---

§. 2.

Quis Author Catechiſmi?

SUppreſſum eſt nomen Authoris, nec quidquam certi, nec omninò explorati didici de illo; niſi quod ex Viro in ampliſſimâ dignitate conſtituto, arcanorumque Lovanienſium peritiſſimo intellexerim, ex Actis Facultatis Artium conſtare Authorem Catechiſmi eſſe permagni illum apud

Lovanienſes nominis Doctorem Liber-tum Fromundum, qui laboris prætium à Facultate retulerit quadraginta florenos. Mihi Acta Facultatis inſpicere non licuit: narro, quod audivi à fide digniſſimo.

---

§. 3.

Quis Catechiſmum approbavit?

Suppreſſum eſt nomen Cenſoris. Eximie Gummare, cum tibi tantoperè diſpliceat Catechiſmus, optes emendari, aut ſubſtitui alium, cenſeasque *periculum* eſſe *in mora*; aptiſſimum habes argumentum accuſationis adverſus antiquum. Quid enim? Suppreſſum eſt nomen Auctoris;. ſuppreſſum eſt quoque nomen Cenſoris; proindè per leges Eccleſiaſticas Catechiſmum illum legere eſt prohibitum: ſubſtituendus itaque eſt novus; *periculum eſt in mora*; nam Eruditæ Facultatis Artium juventus Catechiſmo carêre non poteſt. Indagandus itaque

quam

quam primum Vir quiſpiam, qui novo fabricando Catechiſmo ſit idoneus: nec diu quærendus: Conſpicuus eſt Lovanii Eximius GUMMARUS non minus doctrinâ apud ſuos, atque eruditione famoſus hoc tempore, quam fuit olim magnus ille FROMUNDUS. Nec indigebit multo tempore, aut opus erit magno labore: in promptu habet nova Dogmata, quibus novum adornet Catechiſmum: quæ ſi non ſufficiant, ſuppetias feret ex morali ſua Chriſtiana Erudítiſſimis P. Ægidius Gabriëlis, nec non Eximius D. Joannes Libertus Hennebel, notus uterque in Campo Floræ. Nec operam ſuam deſiderari patietur Vgo Franciſcus van Heuſſen, cujus recentior ibidem eſt memoria; de indulgentiis habet quædam ſingularia. Quid ni opellam ſuam conferat Ex. D. Bartholomæus Paſman, quidni & Eximius D. Martinus Henricus de Swaen? Sunt & alii, qui Bibliothecam habent inſtructiſſimam, ubi in promptu habent novum Teſtamentum Gallico Idiomate Montibus Hannoniæ (ita quidem frons ipſa mentitur) deinde Bruxellis impreſſum: habent Miſſale Romanum Gallico, item Idio-

mate

mate conſcriptum : habent Rituale Alétenſe: habent Auguſtinum Cornelii Janſenii (aliis Sanctis Patribus non eſt opus:) habent Theologiam familiarem Joannis Vergerii Abbatis Sancyrani: habent ejuſdem librum de frequenti Communione : habent Marci Antonii de Dominis librum de Eccleſiaſticâ Republicâ : habent litteras Montaltii : habent Catechiſmum de gratiâ: habent ſeptem famoſa Puncta : habent Theologiam Chriſtianam Ægidii Gabriëlis:habent ejuſdem Specimina Moralia: habent denique, quæ ſufficiant,ut novus concinnetur Catechiſmus ſed prius diſcipulorum manibus excutiendus eſt antiquus. Occaſio eſt optima : accuſetur hoc nomine, quod in illo ſuppreſſum ſit nomen Cenſoris. At verò,quis accuſabit ? Accuſator quidem peritus eſt Eximius GUMMARUS ; accuſare tamen non audebit , quia ipſe ſuum Theologiæ Compendium ſemel ac iterum imprimi curavit ſuppreſſo Cenſoris nomine , licet ſemel illud poſteà imprimi curaverit cum approbatione Eximii D. Bartholomæi Paſman : timebat certè , ne ſibi objiciatur

tur illud Ciceronis in Verrem : *non modò accuſator, ſed ne objurgator quidem ferendus eſt is, qui, quod in altero vitium reprehendit, in eo ipſe deprehenditur.* Verum iſtud facile deglutiet Eximius: non propterea timebit accuſare Catechiſmum, Vir eſt intrepidus: ſpecimen dedit anno 1684. quando prodiit altera ipſius Compendii editio ſuppreſſo nomine non tantum Cenſoris, ſed etiam Typographi, & loci impreſſionis: illo ipſo, inquam anno, in publicis Theſibus arguit ULICUM JONSON, quod ſuppreſſo nomine Cenſoris edi curaverit libellum, cui titulus *Doctrina nova ac mira de ignorantia &c.* Ferendum fuiſſet, ſi accuſationi comes adfuiſſet veritas; ſed (vah pudet referre) accuſavit innocentem ULICUM; accuſavit per manifeſtam ac publicam calumniam: calumniæ teſtes fuerunt omnium oculi, qui ULICI libellum inſpexerunt. Hinc R. P. GERARDUS BOLCK ſilentium ULICI admirans, ſuis Theologiæ Theſibus annexuit hoc pertinens: *Mirum ſi vivat, & taceat* ULICUS JONSON, *cui E. D. Gummarus Huygens in ſuis Theſibus auſus eſt imponere, quod ſuppreſſo nomine Cenſoris ediderit libellum cui*

titulus : Doctrina nova, ac mira de ignorantia &c. *mirum , inquam*, 1. *quia* Ulicus Ionson *in ſuo iſto libello expreſsè habet adjunctam approbationem , habetq; nomen Cenſoris integrè expreſſum. Teſtes appello ipſius accuſatoris oculos , & conſcientiam veri conſciam.* Ipſe ego ad tantam calumniam obſtupeſcens comparavi mihi Libellum Ulici Jonson , qui ſemel tantum fuit impreſſus : inſpexi curioſus , atque eccum ad calcem video adjunctam approbationem nomine Cenſoris integrè expreſſo hac omninò forma. *Approbatio. Hic libellus , cui titulus : Doctrina nova ac mira de ignorantia , Eximii D. Gummari Huygens , expenſa per Vlicum Ionſon Theologum , merito lucem publicam videbit. Dabam Lovanii* 1. *Aprilis* 1682. *Nicolaus du Bois Sacrarum litterarum Primarius Profeſſor , librorum Cenſor &c.*Dum hinc oculis aſpiciebam approbationem Cenſoris nomine integrè expreſſo , illic Theſes Gummarianas , quibus publicè arguitur Ulicus , quod libellum ſuum ediderit Cenſoris nomine ſuppreſſo , paſſus ſum fateor ; motus quoſdam primò primos : occurrebat illud Auguſtini ad Iunum : *mentiris aut falleris* : item iſtud

apud

apud Gallos uſitatum : *il ment, comme un Ianſeniſte.* Tandem abſentem alloquebar Gummarum his Auguſtini ad Iulianum, Eximie Domine expreſſum Cenſoris nomen *videres ſi oculos haberes, taceres ſi frontem haberes* : ubi veritas, ubi charitas apud vos tam ſonora quam vas eſt vacuum ! Ponamus, quod Ulicus Ionſon opuſculum ſuum curaſſet imprimi ſuppreſſo Cenſoris nomine ; opportebatne illud ipſi exprobari ab illo, qui in eodem deprehenſus erat reus ſemel ac iterum ? An non bellè tunc aptari potuiſſet antiquum illud : *Væ tibi, væ nigræ dicebat Cacabus ollæ.* Sed quænam obſecro iſthæc eſt prudentia accuſare innocentem illius criminis, cujus ſolus accuſator eſt reus ? Mihi quidem videtur illa eſſe imprudentia Cacabi, non jam ollæ, ſed puriori vaſculo nigredinem exprobrantis. *Tollamus* (inquies cum Auguſtino ep. 116.) *iſta omnia de medio : amemus pacem, quam omnis doctus & indoctus intelligit præponendam eſſe diſcordiæ.* Per me licet Vir Eximie, amemus pacem: ſed meminiſtin illius pertinentis, quod habes in tuo Theologiæ Compendio ita expreſſum ? *Duo equis ſuis ſpoliantur :*

 ho-

horum alter ad prædones abeuntes reſtitutionem remitto, clamat (ne ſcilicet in peccato hæreant) alter tacet. Vter iis plus prodeſt? ℟. *Poſterior videtur plus prodeſſe.* Cum iſto poſteriore jam dudum tacet Ulicus Jonſon, fortè ut tibi plus proſit. Interim ut retractes calumniam, exſpectat. Nunc ad Catechiſmum.

---

§. 4.

Cujus autoritate Catechiſmus ſit reformandus.

Aſſerit Eximius Gummarus Facultatem Artium *optimè cenſuiſſe* Catechiſmum aut eſſe reformandum, aut ſubſtituendum alium: ſic enim de Catechiſmo ſcribit: *habet plura, quæ meritò improbentur, ut propterea dicta Facultas optimè cenſuerit ſubſtituendum eſſe alium, aut hunc eſſe emendandum.* Quo anno, menſe; ac die Facultas ita cenſuit? De hoc nihil ſcribit Eximius: produci ſaltem oportuiſſet decretum Facultatis, ex quo poſſet conſtare, ita

ita illam cenſuiſſe : nunc de illo Facultatis decreto nihil habemus explorati, niſi ex ſolo teſtimonio D. Gummari, Viri quidem Eximii, non tamen authoritatis in loquendo Eximiæ, poſtquam cum ſuo Principali etiam Eximio tam publicè, tam diſertè affirmavit, famoſam illam Cenſuram Lovanienſem, prius autoritate Sedis Apoſtolicæ repudiatam, ejusdem poſteà autoritate eſſe approbatam; cujus approbationis non modò nullum apparet uſpiam veſtigium, ſed fictitiam eſſe luculentiſſimo teſtimonio ex Urbe miſſo demonſtravit Vir ille doctrinâ ac eruditione, quamvis titulo careat, verè Eximius R. P. Philippus de Vos prius Sacræ Theologiæ Profeſſor Lovanii, dein Studiorum apud PP. Societatis JESU Præfectus, nunc Collegii ibidem Rector, in ſuis Theſibus, quas pro autoritate Sixti V. & Innocentii XI. Romanorum Pontificum contra fictam approbationem Cenſuræ Lovanienſis propugnandas poſuit anno 1682. Ego quidem exiſtimo, quod ubi in loquendo deficit veracitas, ibi multum patiatur loquentis autoritas. Nolim tamen propter eà negare fidem

affirmanti Eximio D. Gummaro. Quapropter licet publicis impreſſis Theſibus affirmarit U L I C I de ignorantia opuſculum prodiiſſe ſuppreſso Cenſoris nomine, quod tamen in omnibus omninò exemplaribus integrè expreſſum omnium oculis erat conſpicuum, credam tamen ipſi, Artium Facultatem cenſuiſse Catechiſmum aut emendandum, aut alium ſubſtituendum, & credam, quamdiu contrarium non fuerit manifeſtè demonſtratum. Audio quidem ſuſpicari plures, Facultatem Artium de eo, quod ſcribit Eximius, ne ſomniaſse quidem, aſt ego obſurdeſco ad ejuſmodi ſuſpiciones. Quid enim? Vir Eximius in tam atroci, patentíque mendacio non ita pridem deprehenſus, mentiatur iterum? & publice? uſque adeone ſui, ſuique nominis ſit prodigus? Nulla hujuſce rei apparet veri ſpecies: quapropter pergam credere, Facultatem ita cenſuiſſe, idque quia affirmat Vir ille Eximius & quia de novo mendacio nondum eſt convictus.

§. 5.

§. 5.

Quid tantoperè diſpliceat in Catechiſmo?

PLura habet, inquit Eximius, *quæ meritò improbentur*: Quæ porro illa, quibus, à quo tempore, quamobrem merito improbantur? Utinam Vir Eximius diſtinctum horum omnium concinnaſſet indicem! Tunc etenim minori hominum admiratione, ac perturbationis periculo novus formaretur Catechiſmus, quando ex antiquo producerentur quædam dogmata, quæ ob magni ponderis rationes meritò improbantur Viris quibusdam, quorum magna eſt authoritas: jam verò aliud non habemus, niſi in Catechiſmo eſse *plura, quæ meritò improbentur*: plures eſse, qui cum Eximio Gummaro optant citò Catechiſmum vel emendari, vel alium ſubſtitui: & hujus rei teſtem non habemus, niſi unum unicum, Eximium quidem, ſed tamen Gummarum Huygens. Curavi ſedulò in-

inquiri, quænam ſint illa, quæ in Catechiſmo improbantur; ſed horum nihil licuit intelligere, altum de iis Lovanii eſt ſilentium: Res ſecretò agitur, clàm fortaſſis Racematoria quædam celebratur Synodus, in qua præſidet Eximius Gummarus, niſi hunc honorem detulerit ſuo Principali Francisco van Vianen, aut potius famoſiſſimo viro D. *Arnaldo*, qui factionis eſt anima, quæ licet inviſibilis, in ſingulis tamen operatur membris: deſpero quidquam certi cognoſcere, priuſquam abſoluta Synodo Catechiſmus prodeat novus. Interim ego Catechiſmum obiter pervolvi, adnotavi quædam, quæ mihi viſa ſunt Conciliabulo improbanda. Hæc paucis exhibeo, non tamquam aſsertiones, ſed velut conjecturas quasdam: erunt fortaſsè qui hiſce conjecturis haud minorem adhibeant fidem, quam teſtimonio cuidam Gummariano: nam hæ conjecturæ ſuis fulciuntur fundamentis.

Primo. Catechiſmo inſperguntur *quædam è Communi Theologorum Scholâ*, ut habetur in allocutione ad Juventutem Eruditæ Facultatis.

CON-

CONJECTURA.

VEl hoc ſolo nomine factioni diſplicebit Catechiſmus : Notum eſt omnibus, quo loco apud factionem ſit Communis Theologorum Schola : Eodem ſcilicet, quo fuit apud Janſenium; imò Lutherum, omneſque paſſim Hæreticos, qui Scholam & Scholaſticos odio ſemper ac contemptu ſunt proſecuti, adeo ut veriſſimum ſit illud Melchioris Cani de locis Theol. c. 1. *Connexa ſunt, ac fuêrunt ſemper poſt natam Scholam, Scholæ contemptio, & hæreſum peſtes.* Hinc extat illa Lutheri confeſſio in Reſol. *Quid alii in Theologia Scholaſtica didicerint, ipſi viderint : ego ſcio, & confiteor me aliud nihil didiciſſe, quam ignorantiam peccati, juſtitiæ Baptiſmi, & totius Chriſtianæ vitæ.* Sed videamus quid hoc tempore quidam, quos factio æſtimat, de Schola & Scholaſticis ſcripſerint. Macarius Havermans in Præfatione Tyrocinii pag. 2. editionis 2. ità ſcribit : *Vix ullum Tyrocinium Theologiæ fundamenta petit ex limpidiſſimis fontibus ſacræ Scripturæ, & traditionis : Vix ullum S. Scripturæ,*

turæ, Conciliorum, aut SS. PP. locum in illis invenies. ſed omnia in proprii intellectûs ſtaterâ trutinant. Ibidem de Scholaſticis ità loquitur : *De Theologia Chriſtiana faciunt Theologiam naturalem, ſeu Philoſophiam ex Peripateticis Ariſtotelis principiis, ſæpiùs authoritatem Ariſtotelis, quam SS. Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, aut alterius ſancti Patris allegantes, ne dicam magis æſtimantes.* Audiendus Petrus van Buſcum in famoſa ſua inſtructione ad Tyroneum Theologum impreſſa Reg. 4. *Ab illo tempore, quo Theologi Ariſtoteliſmis uti cœperunt, & relicto antiquitatis tramite modum Scholaſticum induxerunt, rariores converſi ſunt infideles, inter fideles craſſa increvit non ſatis deploranda ubiq; ignorantia, Clerus vaniloquus, & inani argumentandi methodo tumidus à veritate auditum populi avertit, ad fabulas aniles convertit.* Idem poſt Reg. 6. *Infinitus Theologaſtrorum numerus eſt, quibus (ut olim Phariſæus) ità nunc maximè exclamat veritas :* Væ vobis legisperitis, quia habuistis clavum scientiæ. Ipsi non introistis, et eos qui introibant, prohibuistis. Luc. 11. Idem ibid. *Satis deplorari non poteſt, quanta ubiq; ſit Theologorum ignorantia, faſtidium,*

dium, *& contemptus Verbi Dei*. Quid videtur, Lector Benevole? Caretnè fundamento conjectura, diſpliciturum factioni Catechiſmum vel hoc ſolo nomine, quod illi inſpergantur *quædam è Communi Theologorum Schola*? Conjecturam, nî fallor, probabit ipſe Gummarus.

Secundo. Proponitur in Catechiſmo l. 2. de Fide quæſtio hæc tertia: *Undè quippiam à Deo eſſe revelatum, conſtare poteſt*. Cui hæc ſubnectitur reſponſio: *Si Eccleſiæ Catholicæ authoritas revelatum eſſe comprobaverit; hæc enim columna eſt & firmamentum veritatis, ut non immeritò D. Auguſtinus olim dixerit: ego Evangelio non crederem; niſi Eccleſiæ Catholicæ commoverat authoritas*.

CONJECTURA.

HÆc ſanè reſponſio improbabitur Racematoriæ Synodo; præſertim ſi illic præſideat famoſus ille D. Arnaldus, qui Eccleſiæ Catholicæ authoritatem hoc tempore cenſet haud eſſe magnam, cum ſcripſerit præſens Eccleſiæ tempus eſſe, *le temps de ſon alteration, & de ſa vieilleſſe; de ſa defail-*

faillance & de ſon couchant : Id eſt tempus alterationis, ac ſenectutis Eccleſiæ : defectus ac occaſus Eccleſiæ. Id didicit D. Arnaldus à Magiſtro ſuo Abbate Sancyrano, qui ſtatuit, *præſens Eccleſia corpus non poſſe Eccleſiam cenſeri alio ſenſu, neq; aliâ de causâ, quam quod in locum ſucceſſerit vera Eccleſiæ; ſimiliter ut ſi aqua ſætulenta & corrupta alveum fluvei occupanti, qui olim fluxiſſet vivus, limpidus ac ſalubris, NOMEN DARETUR EJUSDEM FLUVII : corruptionem vero iſtam Eccleſiæ non ſolùm ad mores pertinêre, ſed etiam ad cómplura doctrinæ capita.* Hæc & plura his ſimilia lego in libro cui titulus: *Maximes de l'Abbé de S. Cyran*, pag. 408. & ſeq. Idem ille Arnaldi Magiſter dixit : *Concilium Tridentinum non eſſe verum Concilium; nec haberi poſſe fidem ipſius deciſionibus, propterea quod non ſit antiquorum Conciliorum ritu celebratum.* Ità teſtatur Epiſcopus Lingonenſis in quadam Epiſtola, quam ſcripſit de Maximis Abbatis Sancyrani. Quæ ergò ſpes, ut in Catechiſmo remaneat illa reſponſio, in qua Eccleſiæ Catholicæ hoc tempore tribuitur, quòd ſit *Columna & Firmamentum Veritatis?* Vehementer quoque ſuſpicor illam Cate-

chiſmi

chiſmi reſponſionem multum improbari Eximio GUMMARO HUYGHENS: An temeraria ſit ſuſpicio judicet æquus arbiter ex eo, quod ſubjicio. Celeberrima Lovanienſis Academia anno 1544. ſolemni Sacramento confirmavit Confeſſionem Catholicam, cujus hic erat 25. articulus: *Certâ fide tenenda ſunt non ſolum, quæ Scripturis expreſsè ſunt prodita, ſed etiam quæ per traditionem Eccleſiæ Catholicæ credenda accepimus, & quæ definita ſunt ſuper fidei, & morum negotiis* PER CATHEDRAM PETRI *vel per Concilia Generalia legitimè congregata.* Eximius *Gummarus* Compendioſius poſuit ſuam Confeſſionem, omittens illa, imò excludens, quæ ſpectant *Cathedram Petri* & Concilia Generalia, quæ Eccleſiam repræſentant Catholicam: ita enim habet in Theologiæ Compendio: *Objectum materiali fidei, ſeu id quod creditur fide divinâ, ſunt iſta, quæ Deum revelaſſe conſtat: ac proinde* NON NISI *illa (reſpectu nimirum totius Eccleſiæ) quæ continentur in Scriptura ſacra, & Traditione.* Si voluiſſet majorum ſuorum inſiſtere confeſſioni Catholicæ, nonnè addidiſſet: *Et quæ definita ſunt ſuper fidei ac morum negotiis per Cathedram Petri,*

vel per Concilia Generalia legitimè congregata.

Tertiò. Proponitur in antiquo Catechiſmo eodem capite hæc quæſtio ſexta. *Quis ille Scripturæ ſacræ interpres?* Qui ſcilicet omnem, quæ circa varios S. Scripturæ ſenſus occurrere poteſt, dubitationem, eximat. Et reſpondetur: *Viſibile in terris Eccleſiæ Catholicæ caput, Chriſti Vicarius, & B. Petri Succeſſor, Pontifex Romanus. Petro enim & Succeſſoribus ejus facta ſunt hæ promiſſiones. Supra hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando converſus confirma Fratres tuos. Paſce agnos meos: paſce oves meas.*

CONJECTURA.

Non placebit hæc reſponſio illi, qui hoc tempore in Belgio docet Romanum Pontificum non alio ſenſu Eccleſiæ Catholicæ eſſe caput, quam quo ſenſu primus Scabinus in Senatu, & primus Canonicus in Collegio Canonicorum eſt caput. Improbabitur reſponſio iis, qui putant Romanum Pontificem ſine Concilio docentem er-

errori eſſe obnoxium : qui contendunt Romanum Pontificem non poſſe infallibili autoritate definire ſenſum alicujus libri eſſe hæreticum : qui in hunc modum dogmatizant : *Aſſertio de infallibilitate Romani Pontificis in judicando aut definiendo ſenſu libri Catholico vel hæretico, vix ſibilo meretur excipi.* Item : *Futilis & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſuprà Concilium œcumenicum autoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendo infallibilitate.* Item : *Certus non eſt, ſed dubius modus infallibilitatis Eccleſiæ, quando ſolus Pontifex abſque conſenſu & approbatione aliorum Antiſtitum aliquid definit.* Hæc & his ſimilia magis placebunt fortaſsè, quam reſponſio Catechiſmi.

Quartò. Proponitur eodem capite quæſtio hæc octava : *Quænam omnibus ad ſalutem ſcitu neceſſaria ſunt?* Ad quam ita Reſpondetur : *Neceſſitate medii ad ſalutem, à quâ nulla etiam invincibilis ignorantia excuſat, hoc tempore poſt ſufficientem Evangelii promulgationem, præter fidem explicitam Dei unius, creatoris, bonorum & malorum remuneratoris, tenentur omnes adulti explicitè credere Chriſtum hominem Deum, humani generis morte ſuâ,*

 per

per reſurrectionim devictá redemptorem , & SS. Trinitatis Myſterium.

CONJECTURA.

IMprobabitur reſponſio iis , qui hoc tempore conceperunt , ac pepererunt famoſa illa ſeptem fidei puncta omnibus ſcitu neceſſaria neceſſitate medii. Si quis objiciat ſeptem illa puncta autoritate Sedis Apoſtolicæ eſſe prohibita , in promptu eſt , qui Romano Pontifici reſiſtat in faciem , atque reſpondeat non fuiſſe, quare prohiberentur. Quod cum audivit vir quidam Ampliſſimus apprimè Catholicus ingemuit , atque in hæc verba erupit: *Sic reſpondes Pontifici ?*

Quintò. Occurrit capite 4. in reſponſione ad quæſtionem 7. *Confeſſarius ſub graviſſimo ſcelere ad ſilentii ſigillum tenetur , nec peccatum in confeſſione auditum , verbo , aut quovis alio ſigno , directè vel indirectè poteſt revelare.*

CON-

CONJECTURA.

VEhementer diſplicebit iſtud quibusdam. Non nemo hoc tempore ità ſcripſit: *Antiqui Patres & Theologi non ità quoad Confeſſionis ſigillum ſcrupuloſi erant, ac nunc ſunt Caſuiſtæ.* Alius Diſcipulis ſuis hæc dictavit in ſchola: *Fieri poteſt ut gravamen imminens ex uſu ſcientiæ comparatum ad gravamen imminens aliquibus ex non uſu. ſit admodum parvum, ita ut propterea videantur poſſe dari caſus, quibus non ſolum ſit* LICITUS *uſus iſte, ſed etiam* PRÆCEPTUS. Alius Mechliniæ 19. Februarii 1682. hanc poſuit Theſim: *Scientiâ ex confeſſione acquiſitâ uti licet, modò fiat ſine directâ aut indirctâ revelatione, & gravamine pœnitentis,* NISI *aliud multò gravius, ex non uſu ſequatur, cujus comparatione, priùs meritò contemnatur.* Alius ita Diſcipulos arguitur inſtruxiſſe Lovanii: *Confeſſarius ex ſola confeſſione ſciens peccatum alicujus occultum non ſolum non poteſt dare ipſi teſtimonium ad Paſtoratum V. G. acquirendum, ſed debet etiam poſitivè impedire, ne ad Paſtoralia promoveatur, ne mitteret lupum inter oves. Modus conveniens eſſet, ſi Con-*

feſſarius ſcriberet Epiſcopo, vel Patrono, quod talis V. G. N. N. concurrens ad Paſtoratum eſſet inidoneus, quod illum non deberet ad Paſtoratum promovere; ſed Confeſſarius non ſignaret ſuum nomen. Nova profectò Methodus odioſum reddendi Sacramentum Pœnitentiæ: an non eſt ita Eximie Gummare?

Sextò. Occurrit iſtud cap. 6. in Reſponſione ad Quæſt. 2. *Qui enim amorem à nobis requirit, gratiam etiam ad amandum cordibus noſtris infundit.*

CONJECTURA.

PLacêre non poteſt hæc reſponſio iis, qui hoc tempore dogmatizant plurima Deum à nobis requirere, ad quæ facienda negat gratiam, ſine quâ fieri non poſſunt. Exemplo ſit Eximius Gummarus, qui tantâ contentione docet, atque inculcat, Deum à nobis omnibus poſtulare amorem ſui ſuper omnia prædominantem, eumque actualem; & quidem à primo inſtanti uſus rationis uſque ad ultimum morali loquendi modo continuum, idque ſub peccato mortali: atque idcircò monet habendam parentibus curam, ut pueros antè uſum rationis

pau-

paulatim diſponant ad amorem Dei prædominantem eliciendum initio uſus rationis, & poſteà continuandum; ut patet in Theſibus Theologicis ab ipſo propugnatis 1. Julii 1683. Manifeſtum eſt autem ex principiis Gummari, quod Deus omnibus cordibus non infundat gratiam ad amorem illum prædominantem à primo inſtanti uſus rationis ad ultimum morali loquendi modo continuandum neceſſariam: Etenim certum eſt, & dolemus magnoperè, non ab omnibus Deum diligi amore illo prædominante à primo ad ultimum inſtans uſus rationis, quod tamen indubitanter fieret juxtà Eximium Gummarum, ſi omnium cordibus ad ità ſe amandum gratiam infunderet Deus: quandoquidem apertiſſimè cum ſuo principali dogmatizet, quod ſinguli gradus gratiæ ſemper à nobis obtineant id, quod per illos vult Deus; adeòque gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtatur eo ſenſu, quo gratiæ reſiſti negavit Janſenius, ut demonſtravit Ulicus Jonson in Libello, cui titulus: *Doctrina nova ac mira Eximii D. Gummari Huyghens.* Dubitari itaque vix poteſt,

poteſt, quin ex antiquo Catechiſmo expungendum ſit illud: *Qui enim amorem à nobis requirit, gratiam etiam ad amandum cordibus noſtris infundit*: Præſertim ſi reformationi Catechiſmi ſe immiſceat Eximius GUMMARUS, qui tandem aliquandò ſtrictæ Facultatis factus eſt membrum viâ quâdam electionis, quam admiratur totum Belgium ingenti plauſu factionis novæ: Qui plauſus evanuit, quando electionis effectus ſuſpenſus eſt authoritate legitimâ.

SEPTIMÒ. Habetur in Catechiſmo reformando inſignis commendatio ſumptionis Euchariſtiæ: nam pag. 152. dicuntur SS. PP. per panem noſtrum quotidianum, quem petimus in Oratione Dominica, *ſignificari præcipuè velle Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum*. Et laudatur S. Cyprianus, qui ſic habet: *Hunc panem dari nobis quotidiè poſtulamus*. Laudatur ibidem S. Ambroſius dicens: *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis*. Et pag. 244. ità Catechiſmus inſtruit: *Quamſi Eccleſia annuam ſolum Communionem intrà Dominicas Palmarum, & in Albis præcipiat, ad frequentiorem tamen ejus uſum ſedulò nos invitat*.

vitat. Sacro-ſancti enim Concilii Trid. Monitionem audiamus. Optaret quidem, inquit Sacro-ſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione Communicarent. quo ad eos Sanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior perveniret. Si enim corpori noſtro ob quotidianum materiæ defluxum, utile eſt quotidie refici, dummodò ventriculi calor cibum concoquat; quid ni ſpiritui ſalutare fuerit, cœleſti pane deficientem animæ vigorem ſæpiſſimè reparare, ſi charitatis ignis adſit, qui cibum illum digerat.

CONJECTURA.

TAm frequentem Euchariſtiæ uſum commendari in Catechiſmo non feret, non patietur factio Anti-Euchariſtica, quæ nihil non egit, quod ad hunc uſum abolendum videbatur idoneum. Primò. Ad ſumendum hoc ſanctiſſimum Sacramentum eam docet reqniri animi diſpoſitionem, quæ vix, aut ne vix quidem ulli obtingit mortalium. Audiamus factiònis Patriarcham Joannem Vergerium Abbatem Sancyranum, qui ſctipſit librum de fru-

frequenti Communione, quamvis nomen ſuum illi commodaverit famoſus ille ac vagus D. Arnaldus.

Hoc libro, quamvis frons præ ſe ferat frequentem Communionem, omnis Euchariſtiæ uſus prorſus abolетur. Nam ex doctrina hujus libri, ut quis ſumat Euchariſtiam debet judicari dignus *per ſtatum firmum & IMMOBILEM in virtute Chriſtiana*. Liber hic eſt quoddam quaſi armamentarium, undè ſua arma depromit factio ad oppugnandũ non apertè, ſed per cuniculos laudabilem uſum ſæpius ſumendi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Ex hoc communi factionis armamentario Eruditiſſimus P. Ægidius Gabriëlis in ſuam Moralem tutiorem congeſſit teſtimonia Sanctorum Dionyſii, Juſtini, Baſilii, Ambroſii, Auguſtini, Gregorii, Bernardi, Thomæ, & Bonaventuræ; ex quibus nihil ſimile, ne per umbram quidem ſignificantibus, ità præſidenter concludit cum ſuo Patriarchã. *Ex his omnibus Patrum teſtimoniis de præparatione neceſſaria ad Euchariſtiam, per ſacram Catenam continuæ traditionis evidenter apparet, quod juxta unanimem conſenſum Sanctorum Patrum, quem Sacrum Con-*

Concilium Tridentinum tam frequenter allegat, *velut inviolabilem*, *& irrefragabilem regulam*: *quod*, *inquam*, *per vitæ munditiam*, *per ſanctitatem actionum*, *per exercitium bonorum operum*, *per abnegationem corruptionis ſæculi*, *per unionem cum Deo*, *& demum* PER STATUM FIRMUM ET IMMOBILEM IN VIRTUTE CHRISTIANA, *homo judicari debeat dignus Euchariſtiâ.* Eximie Gummare, qui tam vehementer urges reformationem Catechiſmi antiqui, ut *periculum* cenſeas eſſe *in mora*, unum amicè ex te quæro; an quando ſcripſiſti plura haberi in illo Catechiſmo, *quæ meritò improbentur*, non reſpexeris ad illud quod legiſti pag. 85. quæſt. 8: *Quomodo præparandus animus, ut utiliter Euchariſtia ſumatur.* Cui hæc ſubjicitur Reſponſio. *Nemo imprimis peccati mortalis conſcius, quantumvis ſibi videatur contritus, ſine præmiſſa confeſſione (ſi Sacerdotis facultas adſit) accedere præſumat. Deindè, ſi quis aliquid adverſus Fratrem ſuum habeat, ante reconcilietur. Profundiſſimâ etiam, quam poteſt humilitate; infrà divinam & infinitam illam Majeſtatem ſe dimittere debet, & auguſtiſsimâ iſtâ menſâ indignum ſe reputare, in qua verè & realiter ſub*

aliena

alienâ ſpecie ille manducatur, quem in Cœlo adorant Angeli, ad cujus nutum Cœli contremiſcunt columnæ. Quia verò pueri & amentes hanc, aut ſimilem præparationem adferre non poſſunt, non ſolet iis Euchariſtia diſtribui. Debet etiam ob reverentiam, ſumi à jejunis jejunio non tantùm Eccleſiaſtico, ſed naturali. An non cum tota factione improbas & moleſtè fers, quod ad utiliter ſumendam Euchariſtiam non requiratur in virtute Chriſtiana *ſtatus firmus & immobilis?* Augurantur multi in Catechiſmo novo proponendam hanc quæſtionem: *Quænam eſt præparatio neceſſaria ad ſumendum Euchariſtiæ Sacramentum?* Et ſubjiciendum iſtud reſponſi: *Status firmus in virtute Chriſtiana & immobilis.* Augurantur & hanc proponendam Quæſtionem: *Quinam ſunt arcendi à ſacra Communione?* Reſpondebitur cum factionis Patriarcha in libro de frequenti Communione: *Arcendi ſunt à ſacrâ Communione, quibus nondum in eſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers. Non ſunt ad illam admittendi, qui nondum uni Deo perfectè uniuntur, neque penitus ſunt inculpabiles.* Rejiciendi ſunt qui nondum in virtute Chriſtiana adepti ſunt *Statum firmum & im-*

immobilem : Verbo uno arcendi ſunt homines omninò omnes; admittendus nemo unus. Sublimiori loco ſuſpendendum eſt Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ne mortalium quiſpiam attingat. Fortè huc reſpexerit Abbas Sancyranus, dum ſcripſit libellum cui titulus : *Raiſons de la Ceremonie & de la couſtume ancienne de ſuſpendre le S. Sacrament dans les Egliſes au deſſus du grand Autel.*

Octavò. Occurrit in Catechiſmò antiquo pag. 97. Reſponſio ad hanc Quæſtionem. *Quare Confeſſarius debet aliquam ſatisfactionem Pænitenti injungere?* Reſponſio hæc eſt : *Quia etſi Deus culpam mortalem, & pœnas æternas per Sacerdotis abſolutionem remittat : plerumque tamen non eſt pleniſſimè injuriæ divinæ ſatisfactum, ſed reliquiæ quædam temporalium pænarum ſolvendæ remanent: undè ad earum, in parte ſaltem, expiationem, pænitentialis ſatisfactio pro delictorum ratione, gravior, leviorvè injungitur : in operibus præſertim quæ ad orationem, vel jejunium, vel eleëmosynam pertinent.*

CONJECTURA.

Tria potiſſimum factioni diſplicebunt in reſponſione hac. Diſplicebit imprimis, quod dicatur *Deus culpam mortalem, & pœnas æternas per Sacerdotis abſolutionem remittere.* Videor audire muſſitantes novos pœnitentiarios cum Sciſmatico ſuo Archiepiſcopo Marco Antonio de Dominis lib. 4. de Eccleſiaſtica Republica cap. 7. *Abſolutioni verbali nimia poteſtas tribuitur.*

Diſplicebit prætereà quod dicatur injungi ſatisfactio in expiationem pænarum temporalium, quæ ſolvendæ ſuperſunt poſt remiſſam culpam, & pænam æternam. Muſſitantes iterum audire videor cum Sciſmatico ſuo Archiepiſco De Dominis loco citato: *Semper video apud Patres ſatisfactionem fieri* PRO CULPA POTISSIMUM, ET NON PRO SOLA PÆNA.

Diſplicebit denique, quod dicatur injungi ſatisfactio *in operibus præſertim quæ ad orationem, vel jejunium, vel eleëmosynam pertinent.* Magis placebit illud

illud Vergerianum in libro de frequenti Communione Pag. 2. c. 23. *Illam pœnitentiam, quæ eſt abſtinentia ab Euchariſtiâ, ſemper Eccleſia pœnitentis conditioni accomodatiſſimam, Chriſto acceptiſſimam, peccatori ſaluberrimam judicavit.*

Nonò. Invenitur in Catechiſmo antiquo pag. 90. hæc Quæſtio. *Quæ dicuntur partes pœnitentiæ, & quis inter eas ordo? Reſpondetur: Partes pœnitentiæ ſunt contritio, confeſſio, ſatisfactio, quia materiam pœnitentiæ integraliter quaſi componunt. Inter eas prima eſt contritio, ſecunda Confeſſio, ultima ſatisfactio: ſine qua tamen (modò duæ priores cum forma abſolutionis præceſſerint) juſtificatio poteſt obtineri: etiamſi ſatisfactio ad pleniſſimam Sacramenti integritatem requiratur.*

CONJECTURA.

Repudiabitur indubiè hæc Reſponſio vel ex hoc capite, quod ſignificet *juſtificationem poſſe obtineri ſine ſatisfactione, modò hanc præceſſerint contritio & confeſſio cum forma abſolutionis.* Quid? Ut abſolutio præcedat

ſatisfactionem ? ita quidem habet praxis Eccleſiæ per orbem univerſum, ſed Eccleſiæ ſeneſcentis, Eccleſiæ deficientis, ut garrit JOANNES VERGERIUS; quam propterea reformare, & ad priſtinum vigorem reducere conatur factio Vergeriana. Reformationi præluſit PETRUS D'OSMA Doctor Hiſpanus, qui inter cæteros errores (quos manifeſtam hæreſim continere Authoritate Apoſtolica declaravit Sixtus IV. Romanus Pontifex) docuit *non peractá pœnitentia confitentes abſolvi non debêre*. Vaticano fulmine tactus reſipuit Petrus d'Oſma: reſumpſit Dogma ſchiſmaticus ille MARCUS ANTONIUS DE DOMINIS ex Archiëpiſcopo Spalatenſi factus infamis Apoſtata qui lib. 5. de Republica c. 7. n. 49. ità ſcripſit: *Satisfactio neceſſariò præcedere debet abſolutionem*. n. 57 *Hæc eſt vera Eccleſiaſtica pœnitentia, nec alia legitima aut umquam fuit, aut eſſe poteſt*. Item cap. 8. n. 3. *Perpetuò Eccleſia nondum in his corrupta omnes ſatisfactiones abſolutioni præmiſit*.

Sed & errorem hunc ſuum retractavit Marcus Antonius in libro Retra-

tractationum, quem anno hujus Sæculi 22. ſcripſit Romæ, ut teſtatur Bzovius ad annum Chriſti 1479.

Damnatum hunc errorem, atque à ſuis ipſis Authoribus retractatum adamavit uſque adeò Abbas Sancyranus, ut ad reformandam Eccleſiam in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ judicarit idoneum. Audiamus factionis oraculum in libro de frequenti Communione, quem idiomate Gallico conſcripſit; In præfatione ità loquitur *Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etſi eam plurimorum hominum ſuſtentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.* C. 8. *Sedis Apoſtolicæ doctrina eſt, neceſſarium eſſe peccatorem antè abſolutionem pœnitentiâ defungi.* Ibidem. *Magnus ille Pontifex Leo, Chriſti mentem eſſe docet, ut peccatores ad Communionem Sacramentorum admittantur, primum peccata confeſſi; deindè pœnitentiâ acceptâ: Tum pœnitentiâ illâ perfuncti, & pro delictorum gravitate idoneâ ſatisfactione purgati: poſtremò Sacerdotis abſolutioni reconciliati. Atque hæc omnia ex communi*

totius Eccleſiæ ſenſu deprompſit. Ibidem : *Hujus diſciplinæ origo ab ipsâ divinæ mentis ratione ducitur, qui ex ſtabili juſtitiæ ſuæ lege peccata adverſus ſe admiſſa pari & æqua ſatisfactione elui, atque ex ſapientiæ ſuæ præſcriptiones ſatisfactionem illam inter confeſsionem criminis & Sacerdotis abſolutionem interponi poſtulat.* Cap. item 46. *Hæc eſt praxis primigenia, Apoſtolorum, Patrum univerſorum, univerſæque per duodecim penè ſæcula Eccleſiæ, authoritate falli neſciâ ſancita, Divini Spiritus Doctrinâ, Apoſtolorum traditione, Decretis Pontificum, Canonibus Conciliorum, ac perpetuo Patrum omnium conſenſu præfulta. Conciliorum autem eſt leges condere, privatorum autem obſequi. Qui ſecus fecerint, rei Deo erunt, & indulgentia, ac mollities, quâ peccatores corruperint, præſtanda Deo erit ac luenda. Et oppoſita non univerſæ Eccleſiæ, ſed privatorum in Eccleſia eſt praxis, quæ propter cordium duritiem, quam Synodus Tridentina ingemuit, & Sacerdotum inſcitiam, ac ſocordiam communior evaſit, quod omnium animis, à pœnitentiâ vulgo alienioribus, arridet & blanditur.* Audivimus Patriarcham, audiamus ejus Filios. Ægidius Gabriëlis in Morali Chri-

Chriſtiana pag. 124. *Oportet igitur ut peccator præmittat Confeſſionem, deinde addat fletus & lachrymas, ſeu vera ſigna emendationis, & finaliter ut Sacerdos ei peccata dimittat, cum viderit congruam ſatisfactionem quam videre non poteſt, niſi differat abſolutionem.* Idem pag. 126. *Niſi per opera pœnitentiæ Sacerdoti conſtet de interiori contritione pœnitentis, quam in ipſo operatur Deus, & per quam externis operibus indicat eum ſe recipere in gratiam, non erit vera abſolutio Sacerdotis præſidentis.* Et idem pag. 131. *Ratio differendi abſolutionem, donec proportionata delictis pœnitentia peracta ſit, eſt, quia Sanatio ſpiritualis peccatoris de lege ordinaria non minori tempore indiget, quam corporalis, imò majori.* Author Libelli cui titulus Inſtruction du Rituel D'Allet inſtruct. 7. de Sacramento Pœnit. pag. 91. *Ideò ſatisfactio præmittenda eſt abſolutioni, quia ratio naturalis oſtendit non debere exſpectari reconciliationem ab homine offenſo, niſi reparatâ prius injuriâ, vel datâ ſatisfactione.* Author Compendioſæ deductionis pag 24. *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa*

Chriſti

Chriſti Lex & praſcriptio, naturâ rei id-ipſum quodammodo dictante.

DECIMÒ. Habetur in Catechiſmo antiquo pag. 231. hæc Quæſtio. *Quomodò ſatisfit huic precepto* (videlicet) *Sacro-Sanctum Miſſæ Sacrificium diebus feſtis audito?* Ad quam ità reſpondetur: *Sufficit Miſſæ uni cujuſcumque generis, & quocumque loco, præſentiâ morali aſſiſtendo cum devota attentione intereſſe.*

CONJECTURA.

DUplici ex capite diſplicebit reſponſio. 1. Quod doceatur ſufficere Sacrificio intereſſe *cum devotâ attentione.* Plus aliquid requirit factionis Patriarcha Abbas Sancyranus Ep. 32. inter illas, quas Chriſtianas, & Spirituales appellavit, ubi ita dogmatizat: *Il ne faut guere moins de diſpoſition pour aſſiſter au Saint Sacrifice de la Meſſe, que pour communier, ſelon S. Chryſoſtome.* Hoc eſt: *Vix minore diſpoſitione opus eſt, ut quis aſſiſtat Sanctæ Miſſæ Sacrificio, quam ut communicet, juxtà S. Chryſoſtomum.* Hinc magnâ fidelium perturbatione nuper Lovanii

in

in Templo Beginarum pro concione proclamatum dicitur, non ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, imò mortaliter delinquere illum, qui Sacro-ſancto Miſſæ Sacrificio intereſt in ſtatu peccati mortalis. Præclara profectò methodus arcendi plurimos à Sacrificio Miſſæ. Ad ſumendum Eucharistiæ Sacramentum opus eſt juxta Moralem factionis tutiorem *ſtatus firmus & immobilis in virtute Chriſtiana*: Si vix minore ſit opus diſpoſitione ad hoc, ut quis Miſſæ Sacrificio interſit, quotuſquiſque intereſſe præſumet.

Ex alio capite ſuſpicor repudiandam reſponſionem, quod doceatur ſatis eſſe *quocumque loco* Miſſæ intereſſe. Non vanam eſſe ſuſpicionem fatebitur, quiſquis legerit librum Lovanii celebratiſſimum, cui titulus *Theophilus Parochialis* ubi p. 2. art. 7. Ita legit: *Obligatio Miſſa Parochialis diebus Dominicis; & Feſtis majoribus à tempore Apoſtolorum currit modò uſque ad Concilium Tridentinum, & ab hoc conſervatur. Vnde ly moneant in Tridentino connotat juſsionem, & inde ortam obligationem ſub mortali.* ibidem art. 16. *Per Tridentinum aboletur tam conſuetudo illa*

li-

libertinorum à Parochia ſe abſentantium, quam Regularium eos ad ſuas Eccleſias admittendi, ſub prætextu alicujus privilegii, Parochianos illos refugas à Parochia liberantis. Ibidem art. 24. *Conſuetudo audiendi Miſſam in Eccleſiis Regularium neque juſta, neque rationabilis eſt, utpote contrà jus Eccleſiaſticum (ſi non Apoſtolicum) inventa clancularie & violenter per minimam populi partem introducta.* Idem pag. 4. art. 15. *Bullam Clementis VIII. quæ incipit Ratio Paſtoralis, videtur ſubreptitia.*

Undecimò. Habetur in Catechiſmo pag. 236. illud ex S. Thoma 2.2. quæſt. 147. art. 4. deſumptum: *Qui nondum vigeſimum primum annum explevit, jejunare non tenetur.*

CONJECTURA.

RECLAMABIT Eximius Bartholomæus Paſman, ſuaſque producet Theologicas Theſes de jejunio. Reclamabit Eximius Gummarus, producetque ſuum hoc pertinens ex compendio Theologiæ *Non ſolum naturali, ſed & poſitivo jejunii præcepto adverſatur*

hac

hac nimium generalis Regula : ante vigeſimum primum ætatis annum non tenemur jejunare. Reclamabunt alii ipſos paucorum menſium infantulos ad jejunium obligantes , ſeu potius caventes ne Mater infantulo ſæpius quam ter quovis jejunii die ubera præbeat ſugenda.

Duodecimò. Catechiſmus pag. 164. tractans de Salutatione Angelica, quâ poſt Orationem Dominicam Virginem Matrem ſalutare ſólemus, docet illam eſſe compoſitam *partim ex Angeli Gabriëlis, partim ex S. Eliſabethæ verbis, & quibuſdam quæ S. Mater Eccleſia addidit.*

CONJECTURA.

Reformandi prurigo eo nunc adduxit factionem , ut antiquiſsimam hanc Salutationem tertia ſui parte mutilarit , inter Alphabetarios pueros diſtribuens foliolum , in quo Salutatio Angelica legitur mutilata poſtremâ hac ſui parte : *Sancta* Maria *Mater Dei ora pro nobis peccatoribus, nunc & in horâ mortis noſtræ.* Faſti Eccleſiæ habent

habent hanc precatiunculam Salutationi Angelicæ annexam fuiſſe in odium Hæreſis Neſtorianæ , quæ non ferebat ſanctiſſimam Virginem appellari Deiparam ſive Matrem Dei. Quid factionem permoverit ut hanc precatiunculam duodecem ſæculorum uſu probatam aboleri curaverit, nondum certò innotuit ; opinio eſt diſpliçuiſſe quia non eſt conformis monitis ſalutaribus , quæ ſanctiſsima Virgo fingitur ſuis dediſſe cultoribus : quorſum enim illud : *Mater Dei* : cur non potius *Ancilla Domini* ? quorſum illud : *Peccatoribus* ? Quid ? ut peccatores Mariam appellent ſanctam , & Matrem Dei ? non eſt pulchra laus in ore peccatoris.

Diſplicuiſſe quoque videtur factioni, quod in Salutatione Angelica idiomate Flandrico expreſſa dicatur Virgo ſanctiſſima benedicta *boven alle Vrouwen*, id eſt ſupra omnes mulieres ; hinc ſtudiosè poſuit : *onder alle Vrouwen*, ut intelligi poſſit infra omnes mulieres benedicta. Quomodo Salutatio Angelica exprimenda ſit in novo Catechiſmo brevi nos tempus docebit , vereor ut integra permaneat.

§. 6.

§. 6.

Quis novi Catechiſmi exſpectari poſſit eventus.

ANtiquum Catechiſmum emendari citò, aut ſubſtitui alium optant plures teſte Eximio Gummaro, qui cenſet *periculum eſſe in mora*: ego vero exiſtimo, & plures mecum, per magnum eſſe periculum graviſſimæ perturbationis in Belgio, ac potiſſimum Lovanii, ſi Catechiſmus hoc tempore cudatur novus, quando novorum Dogmatum tanta eſt farrago, præſertim ſi id fiat ſtudio, ac induſtriâ Eximii Gummari, qui novorum Dogmatum haud ſterilis eſt parens, qui inter reliqua unum peperit, ex quo ea fluunt Conſectaria quæ univerſum funditus evertunt Chriſtianiſmum, ut apertiſſimè demonſtravit Erasmus Pilius in Libello cui titulus: Dogma de Libertate &c. ſi Dogma illud Catechiſmo inſeratur, nonne præclarum habebi-

mus Doctrinæ Chriſtianæ Compendium ? Quis porrò novi Catechiſmi ſperari poteſt, aut exſpectari eventus; plures augurantur eundem, quem nova factio experta eſt in reliquis fere omnibus ſuis conatibus : qui tam eſt funeſtus, ut mirum ſit reformationis ardorem nondum deferbuiſſe : quorumdam factionis conatum eventum ponamus ob oculos.

Incipiamus à Factionis ſacro Codice, quem ipſa reformare non erubuit, nihil enim intactum reliquit reformandi libido. Novum Teſtamentum iis Calvini erroribus conſperſum, quos Correctio Romana juſſerat abeſſe, vidimus Gallicis typis Montibus Hannoniæ, ut frons ipſa mentitur, reipsâ impreſſum Lugduni Batavorum. Quis novi hujus Teſtamenti eventus ? audiamus Clementem IX. in ſuo Decreto Debitum Paſtoralis Officii 20. Aprilis 1668. *Librum verſionis Gallicæ novi Teſtamenti, ut ſuprà, & ubicumque impreſſum, ſive impoſterum imprimendum, tanquam temerarium, damnoſum, à vulgata editione prædicta difformem, & offendicula ſimplicium conti-*

tinentem , authoritate Apoſtolica tenore præſentium damnamus ; & prohibemus. Idem Novum iſtud Teſtamentum Bruxellis dein impreſſum iterato prohibuit Innocentius XI. 19. Septemb. 1679.

Miſſale Romanum typis Gallicis impreſſum quem habuit eventum ? Audiamus Alexandrum VII. in ſuo Decreto *ad aures noſtras* 12. Januarii 1661. *Ad aures noſtras ingenti cum animi noſtri mœrore pervenit , quod in Regno Galliæ quidam perditionis filii in perniciem animarum novitatibus Studentes , & Eccleſiaſticas Sanctiones , ac praxim contemnentes , ad eam nuper veſaniam pervenerint , ut* MISSALE ROMANUM *Latino idiomate longo tot ſeculorum uſu in Eccleſia probato conſcriptum , ad Gallicam vulgarem lingam convertere , ſicque converſum typis evulgare , & ad cujuſvis Ordinis & ſexus perſonas tranſmittere auſi fuerint , & ita Sacro-ſancti Ritus Majeſtatem Latinis vocibus comprehenſam dejicere & proterere , ac Sacrorum Myſteriorum dignitatem vulgo exponere temerario conatu tentaverint .... quemadmodum novitatem iſtam perpetui Eccleſiæ de-*

coris deformatricem , inobedientiæ , temeritatis , audaciæ , ſeditionis , ſchiſmatis , aliorumq; plurium malorum facilè productricem abhorremus , & deteſtamur ; ita Miſſale prædictum Gallico idiomate à quocumq; conſcriptum , vel in poſterum aliàs quomodolibet conſcribendum & evulgandum , motu proprio , & ex certa ſcientia , ac matura deliberatione noſtris , perpetuò damnamus , & interdicimus , ac pro damnato , reprobato , & interdicto haberi volumus.

Nonne vehementer eſt timendum, ne aures quoque Innocentii XI. cum animi ejus mærore aliquando perveniat , quod quidam perditionis Filii &c. Miſſalis Romani partem Flandrico idiomate hoc tempore converſam typis evulgare ſint auſi ? timere profectò poteſt factio , ne aliquando & INNOCENTIUS XI. in hæc , aut ſimilia verba reſcribat : quemadmodum novitatem iſtam abhorremus & deteſtamur, ita Miſſale prædictum Flandrico idiomate conſcriptum &c. ex certâ ſcientiâ perpetuò damnamus & interdicimus.

Habuit factio ſuum quoque Rituale:

le. : quo eventu ? Audiendus Clemens Papa IX. in ſuo Decreto : Creditæ nobis 9. Aprilis 1668. *Cum itaq; (ſicut Nobis innotuit) anno proximè elapſo typis impreſſus, ac in lucem Pariſiis editus fuerit Gallico Idiomate liber, cui titulus eſt* RITUEL ROMAIN DU PAPE PAUL V: A L'USAGE DU DIOCESE D'ALET; AVEC LES INSTRUCTIONS, ET LES RUBRIQUES EN FRANÇOIS, *in quo non ſolum continentur nonnulla ab ipſo Rituali Romano juſſu fel. record. Pauli Papæ V. prædeceſſoris noſtri edito, aliena: ſed etiam doctrina quadam, & propoſitiones falſæ, ſingulares, in praxi periculoſæ, erroneæ & conſuetudini in Eccleſiâ communiter receptæ atq; Eccleſiaſticis Conſtitutionibus oppoſitæ, & repugnantes, quarum uſu & lectione Chriſti fideles in jam damnatos errores ſenſim induci, ac pravis opinionibus infici poſſent* : Nos *opportunum huic malo remedium adhibere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, librum ſub titulo Ritualis Gallico Idiomate editum præfatum, autoritate Apoſtolica, tenore præſentium omnino damnamus, reprobamus, & interdicimus, ac pro*

damnato, reprobato, & interdicto haberi volumus.

Fabricavit olim factio Catechiſmum de gratia. Quis eventus? INNOCENTIUS Papa. X. 14. Octobris. 1650. illum prohibuit, *quia in eo continentur quam plures ſententiæ, alias per fel. record. Pium V. Gregorium XIII. & Vrbanum VIII. damnatæ,* ut habet decretum.

Factionis Patriarcha Cornelius Janſenius viginti & amplius annorum ſtudio parturivit novum AUGUSTINUM. Quis fuit eventus? Audiamus Urbanum Papam VIII. in Conſtitutione cujus initium: In eminenti pridie nonas Martii 1641. *Librum prædictum, cui titulus eſt, Auguſtinus, Articulos, opiniones, & ſententias in dictis Conſtitutionibus* (Pii V. & Gregorii XIII.) *reprobatas, atq; damnatas, ut à nobis compertum eſt, continentem, & renovantem. . . .. per præſentes omnino prohibemus.* Deinde octoginta quinque Galliarum Epiſcopi ex *Auguſtino* Janſenii excerpſerunt quinque Propoſitiones, quas Innocentio Papæ X. cenſurandas obtu-

tulerunt, qui poſt indictas Chriſti fidelium preces tum privatim, tum publicè, eiſdemque ferventius iteratis ad divinum implorandum auxilium, tandem ſollicitè implorata ſancti Spiritus aſſiſtentia, divino numine favente ſingulas Propoſitiones damnavit pridie Kal. Junii 1653. Primam ut *temerariam, impiam, blaſphemiam, anatehemate damnatam, & hæreticam*: Secundum & Tertiam ut *hæreticam*: Quartam ut *falſam & hæreticam*: Quintam, ut *falſam, temerariam, ſcandaloſam*, & intellectam ſenſu Janſenii; ut *impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem & hæreticam.*

Poſt hæc Epiſcopi Galliæ Pariſiis congregati litteras dederunt ad Innocentium Papam X. 18. Martii 1654. quibus ſuæ Sanctitati expoſuerunt molitiones adverſariorum jactantium damnatas quinque Propoſitiones ſe quidem damnare, *ſed alio planè ſenſu, quam qui à Ianſenio traditus & explicatus eſt.* Ad has litteras reſpondit Innocentius Papa X. 29 Sept. 1654. declarans ſe damnaſſe

in

in quinque Propoſitionibus Cornelii Janſenii doctrinam ejus libro contentam, cui titulus, Auguſtinus.

ALEXANDER quoque VII. decimo ſeptimo Kal. Novemb. 1656. contra *quoſdam publicæ tranquillitatis perturbatores*, ac *nonnullos iniquitatis filios*, ut illos nominavit, in ſua Conſtitutione *ad Sacram*, expreſſe declaravit, *quinque illas propoſitiones ex libro præmemorati* CORNELII JANSENII *Epiſcopi Iprenſis; cui titulus eſt*, AUGUSTINUS, *excerptas, ac in ſenſu ab eodem* CORNELIO JANSENIO *intento fuiſſe damnatas.* Idem ALEXANDER VII. magnos Vicarios Eminentiſſimi Cardinalis de Rets Archiëpiſcopi Pariſienſis publico Decreto 5. Julii 1661. propalare auſos quinque illas propoſitiones ab Innocentio X. non fuiſſe damnatas in ſenſu Janſenii, ſeverè caſtigavit his verbis in ſuo brevi ad ipſos miſſo 1. Auguſtini ejuſdem anni: *quod cum adeo falſum patenſque mendacium in re tali aſſerere minimè veriti ſitis, ubique malorum zizaniorum in agro Dominico Seminatores, Eccleſiæ Catholicæ perturbatores, & quod in vobis eſt Authores turpiſſimi*

piſſimi ſchiſmatis eſſe deprehendimini. Atque hic eſt eventus novi illius pſeudo-Augustini, ex Calvini & Calviniſtarum laciniis conſuti. Meritò Eccleſia reprobavit Auguſtinum Iprenſem hæreticum (librum intelligo non perſonam) cum haberet Hypponenſem Catholicum.

Factionis primus Pattiarcha Joannes Vergerius Abbas Sancyranus ſuis Diſcipulis ſcripſit Theologiam quandam familiarem, ſive Libellum, cui titulus: *Theologie Familiere.* Videamus eventum: Innocentius X. 23. Aprilis, 1654. Decretum promulgari curavit, quo iterato damnavit Auguſtinum Cornelii Janſenii, ſimulque libros varios, quos inter expreſsè poſuit hanc Theologiam familiarem.

Compoſita fuit in Belgio paucis abhinc annis non ſine graviſſima Chriſti fidelium perturbatione nova profeſſio Fidei, ſivè novum novorum Apoſtolorum Symbolum variis Libellis Flandrico idiomate impreſſis ſparſum in vulgus, quorum titulus Latino idiomate verſus, ita ſonat: *Profeſſio ſeptem Punctorum, ſive Articu-*

lorum

lorum Fidei , quos unuſquiſque. ſcire debet ut ſalvus fiat. Quem nacta eſt eventum nova iſtæc Profeſſio Articulorum Fidei ? Innocentius Papa XI. quem Deus ſuæ Eccleſiæ diù ſervet incolumen , varios iſtos Libellos ſeverè prohibuit in Generali Congregatione S. Rom. & Univerſalis Inquiſitionis 6. Auguſti anno 1682.

Auſa quoque eſt factio ſub finem ſuperioris Anni typis evulgare Breviarium Romanum Gallico Idiomate conſcriptum. Quis hujus audaciæ eventus ? Officialis Pariſienſis hoc Anno 10. Aprilis edictum publicavit: *Tout conſideré, le ſainct Nom de Dieu prealablement invoqué : nous avons condamné , & condamnons l'impreſſion & la traduction en langue Françoiſe du Breviaire Romain, comme eſtant une nouveauté faite contre les Conciles. . . . contre l'Eſprit & l'uſage de l'Egliſe , & encore comme n'eſtant ladite verſion ny pure , ny fidele , contenant auſſi pluſieurs ſens, qui conduiſent à l'erreur , & qui peuvent eſtre la ſource , & la pipinière de pluſieurs hereſies, & comme y ayant dans cette traduction pluſieurs*

erreurs

erreurs, & hereſies condamnées par l'Egliſe.

Nolo pluribus proſequi funeſtum eventum, quem nova Factio experta eſt in ſuis reformandi conatibus: prætermittere tamen non poſſum perniciosum factionis conatum in fabricandâ Eccleſiâ bicipiti: ſed hanc tempeſtivè repreſſit INNOCENTIUS Papa X. per ſuum decretum, quod anno 1647. 24. Januarii juſſit promulgari adverſus quoſdam libros propoſitionem continentes hæreticam, quâ adſtruebatur æqualitas SS. Petri & Pauli. Experta tum fuit Gallia *quantum Apoſtolicæ Sedis in gemini Eccleſiæ Capitis errore profligando valuerit autoritas: continuo ſedata eſt tempeſtas, atq; ad* CHRISTI *vocem & imperium venti & mare obedierunt*: ut teſtantur octoginta quinque Galliarum Epiſcopi in ſuâ illâ ad INNOCENTIUM X. Epiſtola, quâ famoſos quinque Janſenii Propoſitiones Apoſtolicæ Sedi obtulerunt conſiderandas.

Quiſquis profecto attentè conſideraverit funeſtum illum eventum tot tantorumque Factionis conatuum

in

in ſuis Bibliis, Miſſali, Rituali, Catechiſmo, novo Auguſtino, Theologia familari, Symbolo fidei, Eccleſia ſua bicipiti, multiſque aliis, quæ brevitatis cauſa prætermitto; mirabitur reformandi ardorem nondum refrixiſſe, cogitari adhuc de reformando Catechiſmo, ab eximio Gummaro cenſeri *periculum eſſe in mora*. Hunc nos placidè compellemus.

Eximie Domine tuus Apologiſta Paulus Masius magnopere commendat tuum reformandi zelum indefeſſum, ac moræ impatientem, quem prodidiſti quando publicis Theſibus proteſtatus es Facultatem Artium cenſuiſſe Catechiſmum eſſe vel emendandum, vel alium ſubſtituendum, plures tecum optare, ut id fiat cito, teque judicare *periculum eſſe in mora*: plurimi ſunt, qui timent, ne ex hâc Catechiſmi reformatione novæ excitentur perturbationes in Belgio, novæ diſcordiæ, quarum Mater eſt novitas; per deſideratam tam diu Chriſti fidelium pacem, ac tranquillitatem te rogo, obſecro per Deum pacis, per quidquid tibi

eſt

eſt charum obteſtor, ne nimium periculoſo hoc tempore præcipites reformationem Catechiſmi, *periculum* ais eſſe *in mora*, majus ego periculum apprehendo in precipitatione nimia.

Experientia, quæ eſt optima rerum Magiſtra, Eximiam tuam Eruditionem docuit, quanta fidelium in Belgio orta fuerit ex nimiâ præcipitantiâ, quâ adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ reformare præſumpſiſti, novam protrudens retinendi peccata Methodum; dico *retinendi peccata*, quia etſi illam vocaveris methodum *remittendi & retinendi peccata*, re vera tamen, mihi crede, Vir Eximie, remittendis peccatis tua methodus nullum relinquit locum, quando de internâ pœnitentis diſpoſitione moralem certitudinem poſtulat in Sacerdote, ut abſolutionis ſive remiſſionis poſſit pronuntiare ſententiam, te ipſum conſule, amiciſſime Gummare, ecquando de tuâ ipſius internâ diſpoſitione moralem nactus es certitudinem? Me tuum cogita eſſe Confeſſarium,

 coram

coram me accuſas te de peccatis, poſſeſnè ſecurè proteſtari moraliter te eſſe certum de interna tua, eâque ſupernaturali diſpoſitione ſufficiente ad Sacramenti valorem & effectum? poſſeſne dicere, ego ſum moraliter certus, quod in me prædominetur amor Dei ſuper omnia: hanc tu tamen diſpoſitionem requiris in quovis pœnitente: demus etiam, quod tu moraliter ſis certus prædominari in animo tuo amorem Dei ſuper omnia, quomodo efficies, ut ego Confeſſarius tuus moralem habeam certitudinem, quod amor Dei ſuper omnia prædominetur in te? profectò ſi abſque ſacrilegio non poſſim tibi abſolutionis beneficium impertiri, antequam moralem illius tui amoris habeam certitudinem, deterret me tua methodus ab adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ: atque hoc etiam nomine tuam methodum Apoſtolica Inquiſitio in Hiſpaniâ damnavit: meminiſtin Gummare?

FINIS.

AP-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

APPROBATIO.

PERICULUM IN MORA REFORMATIONIS CATECHISMI PROCLAMATUM AB Eximio D. GUMMARO HUYGHENS S. TH. D. EXPENSUM PER CYPRIANUM A SANCTO HIERONYMO non inutiliter lucem videbit. Dabam Lovanii 27. Julii 1688.

NICOLAUS DU BOIS,
Sacrarum Litt. Prim. Prof. Lib. Cenſor.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE